

Millius assert codicem, Actus iuxta et Ἀποκάλυψιν continentem, qui ex Musaeo Petavii ad Christinam, Suecorum Reginam, peruenit, et ab hac Bibliothecae Vaticanae illatus est, qui ita legit, Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου καὶ εὐαγγελιστοῦ. Longior est inscriptio, quam Biblia Complutensia habent, et in sua editione retinuit Arias Montanus, Ἀποκάλυψις τοῦ αγίου Ἀπόστολου, καὶ Εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. Non disquiram nunc, an per humilitatem, quam prae se ferebant diuiniores hi Viri, talia in se conferre elogia Ioannes potuisse. Id saltim dico, sapere ea aetatem omnino sequiorem. Quod uel ex Eusebio evinco, in D. E. L. III. p. 110. qui dum Apostolos, et in his Ioannem, ab omni arrogantiae uitio immunes pronunciat, inter alia assert, quod, nominibus silentio praetermissis, ex librīs, quos confecere, nec famam nec gloriam, captariant. Speciatim de Ioanne haec habet, ἐν μὲν γὰρ ἐπιτολαῖς αὐτοῦ γέδε μνῆμην τῆς οἰκείας προσπυγοείας ποιεῖται, η πρεσβύτερον ἔαυτὸν ὄντα μάζας Οὐδαμῶν δὲ Ἀπόστολον οὐδέ Εὐαγγελιστὴν. Nonne ex his indicium licet sumere, idemque clarissimum, inscriptionem, tantiselogiis plenam, νοθεύειν? Neque est, quod aliquis existimet, Eusebium forsan Ἀποκάλυψιν non habuisse, pro uero, et genuino Ioannis scripto. Quod dubium me aliquando torsit. Nam si uel maxime res ita se haberet, tamen non poterat Eusebio, qui tot ueterum euoluerat monumenta, esse obscurum, eandem, unanimi fere omnium consensu, Ioanni tribui auctori. Audiamus Tertullianum, qui L. IV. aduersus Marc. c. V. dilerte scribit. *Habemus et Ioannis alumnas Ecclesias. Nam et si Apocalypsin eius Marcion respuit: Ordo tamen episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit autorem.* Hinc omnino certe erat Lectores monuisse, quibus ex Ἀποκάλυψι occasioni enasci poterat, de ueritate assertionis dubitandi. At enim habuisse Eusebium Ἀποκάλυψιν pro genuino Ioannis libro, id clarum fit, luculentumque, ex L. III. H. E. c. XXV. ubi, facta librorum N. T. recensione, Ἀποκάλυψιν ὁμολογουμένοις annumerat.

XVIII. His subiungo Versiones, quaenon modo quae-

C

dam